

DR. 529, 20

DISSERTATIO
DE

ORNAMENTIS BIBLIOTHECARUM, VETERUM ET RECENTIORUM, QUA ILLUSTRISSIMA PATRIA LUMINA ET NUMINA, CELSISSIMOS COMITES AC DOMINOS,

DOMINOS SUOS GRATIOSISSIMOS;
INSIGNIA UTRIUSQUE REIPUBLICAE
DECORA ET ORNAMENTA,
MAXIME VENERABILES

DNN. INSPECTORES;
RELIQVOSQUE VIROS CUJUSVIS ORDINIS ERUDITOS,
AD ORATIONEM VALEDICTORIAM
DE REGNO JESU CHRISTI POTENTISSIMO,
INDOLE MORIBUSQUE ORNATISSIMI ADOLESCENTIS,
JOHANNIS GOTTLIEB BOHNII, Lipsiensis,

Ad Diem XXVIII. Maii, c^{lo} I^oc CX.

B. C. D.

habendam.

Quā par est observantia & humanitate
INVITAT

M. GEORGIUS LUDOVICUS Goldner /

ILLISTRIS RUTHENEI RECTOR.

Gerae, Literis VVertherlanis.

IIα
6





Uemadmodum veteres sapientes multum impenderunt operae ac studii, ut locis istis, ex quibus singulariter quandam vel voluptatem capere licuit, vel utilitatem, variis ornamentis majorem conciliarent splendorem ac dignitatem: ita hoc quoque egerunt sedulò, ut BIBLIOTHECAE, quas vel in publicos, vel privatos adornarunt usus, ornamentis loco dignis, & in his praecipue virtute ac doctrina nobilium Viatorum statuis, simulacris & imaginibus præfulgerent. Primum hujus moris auctorem Romani sibi vindicare volunt, ne omnia bella ad Graecos referantur. Primum enim qui Romae Bibliothecas imaginibus exornarit, Asinum fuisse Pollionem antiqui memorant Scriptores. Sic enim Plinius Major Hist. Nat. LXXXV. c. 2. Nullum majus felicitatis specimen arbitror, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinius Pollio hoc Romae inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores coeperint Alexandriae & Pergami Reges, qui Bibliothecas magno certamine instituere, non facile dixerim. Hujus sequitur vestigia Alexander ab Alexandro, L. II. Genial. Dierum c. 30. p. 527. Romae, inquit, Asinus Pollio vatum libris conservandis Bibliothecam dicavit primus, in qua M. Varrois imaginem adhuc viventis, pro cumulo magnae gloriae posuisse fertur. Sicut Victorino ob doctrinæ magnitudinem viventi statuam populus in foro posuit. Hujus exemplum postea, ut in re nova fieri solet, imitati sunt alii, atque vivis etiam, ingenii laude florentibus viris idem honoris exhibuerunt genus. Sic enim Justus Lipsius cum in Synagmate de Bibliothecis c. IX. illud Asinius Pollionis recensuisset institutum, pergit: Quod tamen & aliis postea, indulgentia, aut iudicio, datum video: & nominatim Mariali Poëtae qui gloriatur, quod Stertinus imaginem ejus ponere in Bibliotheca sua voluerit. Et haec ipse Martialis in epistolio ad Turanium scripto testatur: Hoc mihi Turani, frater carissime, Epigramma, quod extra ordinem pinginarum est, ad Stertinum clarissimum Virum scripsimus, qui imaginem meam.

meam ponere in Biblioteca sua voluit. Sed plerumque hoc ho-
noris genus contigit mortuis, & quos, ut Lipsius loquitur, fa-
miae consensus jam sacrasset. Tradit hoc disertè Plinius, qui et-
iam viventium, & nominatim Varronis imaginem, in Bibliotheca,
quae prima in urbe publicata erat, positam fuisse ab Asinio il-
lo, memorat, L. VII. c. 30. De mortuorum verò imaginibus re-
fert sequentia: *Non est praeiureundum & novitium inventum, siqui-*
dem non solum ex auro argenteo, aut certè ex aere dicantur illi, quod-
rum IMMORTALES ANIMAЕ in iisdem locis loqvuntur, quinimò er-
iam quae non sunt, finguntur, pariuntq; desideria non traditi vultus.
Atque hoc magna exemplorum confirmare nube liceret. Sane
ipsi etiam Imperatores hanc approbarunt consuetudinem &
statu sunt. De Tiberio Nerone Caesare id refert Tranquillus
c. LXX, in vita ejus: *Fecit & Graeca Poëmata, imitatus Euphori-.*
onem & Rhianum, & Parthenium: quibus Poëtis admodum delectatus,
scripta eorum & imagines publicis bibliothecis inter veteres & praece-
puos auctores dedicavit: & ob hoc pleriq; eruditorum certatim ad eum
multa de his ediderunt. De aliis verò claris viris hujus moris ob-
servantissimis multò plura passim prostant exempla. Inprimis
autem hujus ritus diligenter in scriptis suis rationem habuisse
Plinios, observamus. Ex Majori supra jam adducta sunt testi-
monia: nunc Plinium Coecilium Secundum quoque audiemus.
Hic in Epist. 7. L. III. ad Caninium suum de Silio Italico defun-
cto, inter alia & haec honoris ergo perscribit: *Erat Φιλόκαλος,*
usq; ad emaciatissimam reprobationem. Plures iisdem in locis villas pos-
siderat, adamatisq; novis, priores negligebat. Multum ubiq; librorum,
multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum
etiam venerabatur. Vergilius ante omnes, cuius natalem religiosus,
quam suum, celebrabat; Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adi-.
re, ut templum solebat. Et Epist. 28. L. IV. Iuculentius veterum
hac in re describit studium: *Herennius Severus, Vir doctissimus,*
magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum,
Cornelii Nepotis & Titi Cassii: petitq; si sunt istic, ut esse credibile est,
exscribendas pingendasq; delegem. Namque adeò studiosi hujuscem
fuerunt tui, ut aliorum imagines, ubi tales revera esse constabat,
aut verò videbatur simile, exscriptas accuratè depictasque sibi
compararent. Atque hanc ad operam pictorem quemque pe-
ritis-
): 2

ritissimum diligentissimumque elegerunt. Id quod ex illa ipsa epistola licet colligere, quando ita Plinius pergit: *Quam curam ribi potissimum injungo. Peto autem ut pictorem quam diligentissimum adsumas.* Nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longè difficillima est imitationis imitatio: *A qua, rogo, ut artificem, quem elegerit, ne in melius quidem, finas aberrare.* Sidonii Statuam in bibliotheca fuisse ornamenti loco positam versus testantur sequentes:

*Cum meis ponit statuam perennem
Nerva Trajanus titulus videret,
Inter autores utriusq. fixam.*

Bibliothecae.

Jam Imperatorum quoque Statuas in bibliothecis fuisse ereatas. Vopiscus auctor est de Numeriano scribens: *Hujus ratio tantum habuisse fertur eloquentiae, ut illi statua, non quasi Cesar, sed quasi Rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est: NUMERIANO· CAESARI. ORATORI. TEMPORIBUS. SUIS. POTENTISSIMO.* Atque hinc procul dubio factum est, ut recentiora etiam tempora Bibliothecas publicas suavissimis pariter ac utilissimis hujus generis ornamentis curarint illustrandas. Nam sive in Italia, sive Gallia, sive Germania, sive aliis christiani orbis regionibus bibliothecas aedas & perlustres benè instructas, ejusmodi ornatus & oculiferia non sine voluptate & admiratione invenias atque observes. Nimis foret prolixum, omnia quae huic inserviant instituto, adducere; nec spatiis capit angustia, quae integrum facile confiscere librum possent. Quare pauca saltem ex ingenti copia afferemus in medium, ad autores illos, qui hoc de arguento consuli possunt, simul provocaturi. Quibus imaginibus bibliotheca, quae Romae floret, Vaticana sit conspicua. Jo. Mabillonii & Michaelis Germaini Museum exponit Italicum Tom. I. p. II. Huc etiam pertinent, quae illius in laudem Monsieur le Gallois in Tractatu des Plus belles Bibliotheques de l' Europe afferit p. 122. sq. In Mediolanensi bibliotheca, quae Ambrosiana, à civitatis Patrono, appellatur, selectas clarissimorum Virorum imagines conspici, Paulus Boscha, qui de ea V. Libros conscripsit, sedulò annotavit. Picta doctrinae & virtutis ornamenta Helmstadiensis Bibliothecae sicut



tit insigne illius Academiae Ornamentum, Hermannus von der Hardt / in Oratione, quatuor Memorabilia Rudolpheae novae Helmstadiensis bibliothecae inscrispit. Academiam Jenensem imaginibus Fundatorum Serenissimorum, filiorumque Bernhardi & Friderici ex serico affabre confessis & aureis limbis distinguis, à Serenissimi Duci Wilhelmi liberalitate condecoratam esse, Caspar Sagittarius, in Oratione de bibliotheca Jenensi praedicat. De Academiae Lipsiensis, quae Paulina vocatur, Ornamentis & clarorum, quibus emicat virorum imaginibus, egit inter alia magnum illius decus, L. Joachimus Fellerus, in Oratione de Bibliothecae Paulinae origine & incrementis, atque recensuit ex illis in primis Mosellani, Camerarii, Friderichi, Mollerii, &c, cuius amplissima Bibliotheca publicis Academiae sumtibus comparata in eamque translata est, magni illius & incomparabilis Theologia, quem merito Solem Theologorum cognominare possumus, Johannis Hülsemanni, imagines, ac hanc quoque Inscriptionem imagini Hülsemannianae inter ipsos libros Hülsemannianos constitutae annexam exhibuit à Poëta non infelici compositam:

*Haec sunt ora Johannis Hülsemanni,
Haec est Bibliotheca, quam retinquit,
Almae sumtibus hue reposa nostrae
Scherzero moderante sceptra. Mirum.
Quos tot pulpita vix tenere libros
Posunt, ingenium unius tenebar.*

Plura qui desiderat, evolvat Isaacum Vossium de quatuor artibus popularibus, p. 89. 90. Illustrem Ezechiem Spanhemium de praestantia & usu Numismatum antiquorum Dissert. I, p. 36. Joachimum Jo. Maderum in Lib. VII. de Biblioth. Edmundum Friegelium de Statuis Doctorum in Biblioth. Leh Mayerum de Bibliothecis, Dan. Quil. Mollerii eruditissimam Dissertat. de Bibliothecis. M. Christophori Gothofredi Barthii, Dissert. de Imaginibus Veterum in Bibliothecis vel alibi positis. Ecquem verò in finem ejusmodi ornamenta à prisco aeque ac recentiori aeo Bibliothecis illata putabimus & dedicata? Tantum sanè abest, ut splendori solum augendo, & capiendis spectatorum oculis animisque eas sint adjuncta librorum apparatus: ut potius illi, qui bibliothecas visitant, lustrant, vel in iisdem crebro versantur, ex ipso vul-

tu tantorum virorum animi vim & virtutes cognoscant, cognitam colant, atque ipsorum aspectu non dilecentur modo, sed etiam excitentur, ut suo quisque loco ac modo, eos quos veneratur, sequatur ac etiam aemuletur. De voluptate, quae ex aspectu harum imaginum, & memoria in animo hominis non bardi ac barbari prouersus, oritur haud vulgaris, J. Lipsius loco supra citato ita sentit: *Nonne pulchrum & suave oculis ac cogitationi suie? Natura trahimur ad simulacra & effigies magnorum virorum noscendas, & illa corpora sive hospitia, quibus coelestis se animus inclusit; ecce hic erant. Homeris, Hippocratis, Aristoteles, Pindari, Virgilii, Ciceronis & alia scripta videres, aut libares oculis: una etiam imaginem scriptoris adjunquam.* De veneratione virtutis & meritorum Seneca testis est locupletissimus. De se ipso enim ita: *Veneror inquit, inventa sapientiae inventoresq;. Et mox de iisdem: Suscipiendi sunt, & ritu Deorum (illo quidem judice) colendi. Quidni ego magnorum virorum, & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quidni illos honoris causa semper appellem? quam venerationem praceptoribus meis debeo, eandem illis praceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem video, aue prætorem, omnia, quibus honor baberi solet, faciam: equo desiliam, caput aperiam, semita cedam. Quid ergo? M. Catonem utrumq; & Loelium sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem Cleanthemq;, in animum meum sine dignatione recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus semper affurgo. De aemulatione denique honestorum generosorumque animorum quis quaeso dubitet? Hi enim dum intuentur clarissimorum virorum imagines, accenduntur ad majus laudis studium, impellunturque occulta quadam vi, ut paria cum illis moliantur, suscipiant, faciant. Nihil itaque minus Thucydidem Herodoti gloria ad scribendas Historias laudemque ex eo studii genere petendam esse inflatum existimandum est, quam Miltiadis trophyis excitatum Thémistoclem; aut Caesarem, animadversa Gadibus apud Herculis templum magni Alexandri imagine, ad res maximas gerendas extimulatum. Omnipotè ad nostra haec mansuetiorum artium studia, quam ad res bellicas pertinent, quae de ardore virtutum in generoso excitando peccore Sallustius scribit: *Saepe audiui Q. Maximum. P. Scipionem, præterea civitatis nostrae præclarum**

claros viros, solitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur,
vrbementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram il-
lam, neq; figuram tantam vim in se habere; sed memoria rerum gesta-
rum eam flammat egregius viris in pectori crescere; neq; prius sedari,
quam virius eorum famam atq; gloriam adaequaverit. Atque hoc per-
movit facile prudentes viros, ut imagines & picturas non biblio-
thecarum duntaxat ornamentum, sed partem primam ac ferè no-
biliorem esse existimarent. Singulae enim virorum illustrium
effigies, peculiares, compendiosæ, & spectatu perjucundæ sunt
bibliothecæ. Frons oculique magnorum virorum, brevis & an-
gusta oris idea augustæ & prolixæ sunt historiae, belli virtutis,
& doctrinae indices, oracula apertissima, animi ac spiritus indi-
cia manifesta, & genii simulacra peramoena. Ex horum oculis
plus interdum uno momento cum voluptate discas, quam inte-
gro anno ex toto legas volumine. Ita censet de his ornamentis
Hermannus von der Hardt, in oratione supra citata. Videatur
quoque Christophori Heidemanni Oratio de Bibliotheca Julia.
Hic egregius finis, hic insignis fructus est ornamentorum biblio-
thecarum! Atque haec præfari libuit, antequam vitae studio-
rumque testimonium, more recepto, impertiremus Juveni, in-
dole moribusque ornatusissimo, JOHANNI GOTTLIEB BOHNIO,
Lipsiensi, Commensali & Inquilino nostro perdilecto, quem si
magni Avi, B.D. Hülsemanni, atque celeberrimi Parentis, insigni-
um literati orbis Ornamentorum sequetur vestigia, atque quod
ingressus hic est virtutis & optimorum studiorum iter porrò ita
calcabit, eximium aliquando familiæ suæ ornamentum futurum
esse speramus atq; ominamur. Venit ille in hanc illustrem litera-
rum ac liberalium artium officinam anno cl̄ 1577. die 17. Junii,
à Parente providentissimo, Viro Magnifico, Nobilissimo atque Ex-
cellentissimo DN.D. JOHANNE BOHNIO, in Academia Lipsien-
si Therapeuticæ P. P. longe celeberrimo, Reipublicæ Physico
excellenter merito, Academiae Decemviro & Collegii utriusque
Principum Collegiato gravissimo, Patrono nostro benignissimo
atque summoperè observando, disciplinae nostræ atque institu-
tioni traditus. Ut igitur tam carum pignus prompti suscepimus:
ita nulli pepercimus operæ atque curæ, ut spei atque votis No-
bilissimorum Parentum fieret satis, atque adeò animus filii virtu-
tibus.

QXIIa 6

x 320 5071

tibus perinde ac disciplinis egregiis poliretur magis magisque
atq; exornaretur. Hinc publice privatimq; artes in primis, quas hu-
maniores vocamus, cum reliquis ei tradidimus, atque auctores o-
ptimae notae, Latinosq; Graecosq; accuratè interpretati utrius-
que eruditae linguae notitia solidiori imbuendum curavimus.
Quos ille etiam diurna nocturnaque versavit diligenter manu,
atque resolvendo, vertendo, imitando, excerptendo verborum re-
rumque copiam ad usum transtulit, & facultatem dicendi aeque
ac scribendi sibi comparavit, profectusque speciminibus publi-
cis non sine Auditorum benevolo applausu, declaravit. Vita ejus
suavissimis moribus, modestia in primis & humanitate decorata
fuit: Pietatem Deo, tam domi quotidie, quam in aede sacra or-
rando & sacros auscultando annotandoque sermones, obsequiu-
m & reverentiam grataeque mentis studium praceptoribus
comprobavit, corumque monitis non reluctatus est temere; sed
patientes illis promtasqne praebuit aures, nutus etiam illorum
reveritus. Quae omnia ut bona testamur fide; ita quoque opti-
ma jam pace Eum è nostro in nobilissimorum parentum sinum
dimittimus, Deum precati, ut porro vires corporis ejus aeque ac
animi conservet, roboret, augeat, atque studiorum Academicorum
exoptatissima incrementa indulgeat, econtra impedimenta
omnia avertat, ut virtutes majorum feliciter & inoffenso pede
imitatus, Patriae aliquando utilis idoneusque civis, & sacri
praesertim ordinis non postremum evadat ornementum. Ad
diem XXVIII. Maji, hora X. ^{meridiana} Oratione latina de Re-
gno Iesu Christi omnium potentissimo, in quod pò ad ascensionem ingres-
sus est, habita, pietatem suam, quibus debet exsolvet, & ultimum
nostris Musis dicet Vale. Ut igitur ILLUSTRISSIMI COMITES
AC DOMINI, DOMINI NOSTRI GRATIOSISSIMI, ut MA-
XIME VENERABILES DNN. EPHORI, UT RELIQVI OMNI-
UM ORDINUM NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE VIRI per-
clementer ac benevolè auscultare quoque ultima dictorum vice
dignentur, eo, quo decet modo, h. e. humillimè, observantissimè
ac peramanter rogitarus. Λόγον περιπτίου habebit Job.
Casper Jenischius, Gubenæ-Lusatius. P. P. Dom, Rogate, d. XXV.
Maji, A. R. O. clo loc CX.

VD 18

Farbkarte #13

B.I.G.

	Black	White	3/Color	Red	Magenta	Cyan	Green	Yellow	Blue	Inches	Centimetres
8										11	19
7										10	18
6										9	16
5										8	15
4										7	14
3										6	13
2										5	12
1										4	11
0										3	10

B.I.G.

DISSERTATIO
DE
AMENITIS
THECARUM,
IM ET RECENTIORUM,
QVA
LUSTRISSIMA
AE LUMINA ET
NUMINA,
CELSISSIMOS
S AC DOMINOS,
OS SUOS GRATIOSISSIMOS;
ITRIUSQUE REIPUBLICAE
ORA ET ORNAMENTA,
MAXIME VENERABILES
INSPECTORES;
ROS CUIUSVIS ORDINIS ERUDITOS,
NEM VALEDICTORIAM
U CHRISTI POTENTISSIMO,
ISQUE ORNATISSIMI ADOLESCENTIS,
TTLIEB BOHNII, Lipsiensis,
n XXVIII. Maii, c. l. l. CX.
B. C. D.
habendam.
et observantia & humanitate
INVITAT
S LUDOVICUS Goldner/
TRIS RUTHENEI RECTOR.
e, Literis VVertherianis.

